

Primum igitur omnium legatio ad Fœdericum est decreta : quem publico nomine rogatum volebant , ut cum Alessandro Pontifice in gratiam vellet redire : facturum eum rem non solum Christiano nomini longe utilissimam , sed Venetis quoque , qui Alexandri commodis ac dignitati consultum vellent , gratissimam . Ferunt Pontificem ipsum , cum Ducem literas ad Fœdericum de fide legatis habenda cera obsignantem conspexisset , in Ciani & aliorum gratiam mandasse , ut Ducariæ deinceps literæ plumbo munirentur : quem observationis usum ad hunc diem servari non ignoramus . Obbo (quem , quum codicis unde hæc accepimus vetustate , tum quia omnia quæ eo bello accidere , diligenter prescripsit , tempestate illa fuisse suspicari libet) duplici , ait , Venetos Principes ad eam diem signandi forma usos fuisse , ut publica monumenta plumbo , epistolas ac reliquos libellos cera communirent : sed tum primum Alessandro auctore receptum , ut in his quoque plumbo illi utearentur . Legati ad Fœdericum profecti primo congressu satis benigne ab eo accepti : verum ubi de pace cum Alessandro ab eis mentio fieri cœpta est , tum ille ira accensus : *Ite , inquit , & hæc vestro Principi & populo dicite : Fœdericum Romanorum Imperatorem ab eis hostem & fugitivum hominem reposcere : quem nisi primo quoque tempore ad se sub custodia vinciam miserint , fore ut pro hostibus Imperii se haberí paulo post Veneti scirent : neque fœdus neque jura ulla gentium plus apud se valitura , quam insignem illam contumeliam , pro qua ulciscenda omnia divina & humana jura paratus esset evertere : admoturum se non multo post terra marique ad eorum urbem copias , futurumque ut victrices aquilas , quod ipsi nunquam putassent , ante Divi Marci ædem sisteret . Cum his legati miseri ferocissimas Fœderici minas Venetas attulere . Quibus commota civitas (apparebat enim imminere sibi bellum omnium quæ ad eam diem gessisset , periculosisssimum) classem ad retinendum maris imperium continuo decernit : quo defenso , non erat cur infestissimi alioquin hostis vires magnopere timerentur . Dum classis igitur instruitur ,*

*Usus plumbi
in munien-
dis literis
unde .*

*Veneri in
gratiam A-
lexandri ad
Fœdericum
legatos mit-
tunt .*

*Arma fasci-
piunt .*